

D I S S E R T A T I O

INAUGURALIS MEDICA

DE

C O N S T I T U T I O N E  
I N D I V I D U A L I

Q U A M A N N U E N T E

M A G N I F I C O D O M I N O

P R A E S I D E   E T   D I R E C T O R E

A C

I N C L Y T A   F A C U L T A T E   M E D I C A

R E G .   S C I E N T I A R U M   U N I V E R S I T A T I S   H U N G A R I C A E .

P R O   G R A D U

D O C T O R I S   M E D I C I N A E

O B T I N E N D O   C O N S C R I P S I T

*I O S E P H U S   D E U T S C H .*

---

Theses adnexae defendantur publice in Palatio Universitatis die, Junii 1833.

---

B U D A E ,

T Y P I S R E G I A E   U N I V E R S I T A T I S   H U N G A R I C A E .


MAGNIFICO ET SPECTABILI DOMINO

I PETRO TÖKÖLY DE KEVERMES

EQUITI AURATO. SACR. CAES. ET REG. MAJESTAT.

A CONSILIIS I. COMITATUS CSANADIENSIS OFFICII

SUPREMI COMITIS ADMINISTRATORI. etc. etc.



**In summi Cultus et Venerationis  
Monumentum**

**D. D. D.**



**devotissimus Auctor**

---

# De Constitutione Individuali

## §. 1.

**C**onstitutio vox est quae eo in terminologiam medicam abivit, quod *καταστάσις* Hippocratis et Galeni hoc nomine optime designare autumnabant, abinde civitate donatus est hic terminus, cui certam et definitam subiungunt significationem, quae tamen etymologicē voci non apprime respondet; si enim constituere e partibus conjungere est, non adhuc designat, quae particularia in unum totum copulanda sint. In medicina tamen Constitutio significat unionem particularium in integrum certos morbos inducentem.

## §. 2.

Particularia haec e quibus constitutio coaluit partim in organismo radicantur, partim extra cum sita sunt, quae tamen ut iam supra adnotatum fuit, in unum totum iungantur necesse est, ut Constitutionem gignant, quod prae caeteris de epidemica et endemica valet, harum relationem Hippocrates p̄aepr̄mis attenta mente collegit, et *καταστάσις* illas cum primis designare voluit. Est tamen in Medicina persaepe sermo de Constitutione quae et particularibus et toto spectato in organismo singulo latet, quam et nomine Constitutionis individualis designare studuerunt, ejusre natu-ram quoad licet hic propius illustrabimus.

## §. 3.

Constitutionem desiniemus dicendo: esse illam unionem particularium organismi singuli in totum (aut brevius esse illam organismi compagem et crasim) quae morbos gignit et modificat, quamve sequentibus vindicabimus: Constitutionem individualem in organismo radicari nullus dubitat, Unio vero singularium in organismo, illius compagem et crasim struent; quare hos terminos impune synonimos assumimus, eo a fortiori, quod et quivis Medicus practicus ingenue fatetur, se vocem hanc tantum in relatione ad morbum uti, ita ut tacito ut dicam consensu iudicatum fuerit sub Constitutione eum intilligere statum, qui morbum gignit et fovet. Exemplo sit Constitutio nervosa, phtisica serophulosa. In individuo simili termino multato neque scrophulas nec febrim nervosam evolutam cerno, illo enim in casu supervacaneum foret praesentem morbum constitutionis nomine compellare, quippe Constitutio eum solum organismi signat habitum quo praesente morbus certus, e levidensi causa, vel et citra illam conspicuam provocatur, et vel eum repente ut febrim nervosam, inflammationem inducit, vel tacito passu ut phtisim fovet. Ita Constitutionem robustam compellant illam quae graves molestias pati potest quin morbo occumbat, teneram vero illam quae facilis lahefactatur.

## §. 4.

Duplici tamen sensu Constitutio morbum respicit, quantum nempe illum provocat et modificat, quae secunda relatio cumprinis probanda venit. Constitutio prae reliquis modificat morbos quos causae externae invitant, exemplo sint Contagia et Traumata. Morbi contagiosi alia forma aliisve symptomatis stipati decurrunt ubi Constitution dominatur inflammatoria, ac ubi nervosa, quam differentiam decursus ac terminationes multum varii diserte loquuntur. Sat superque novimus quomodo unus idemve mor-

bus constitutioni huic salutaris , alteri indifferens , illae de-  
leterins est.

### §. 5.

Quare relationem ad morbum gignandum et modifi-  
candum Constitutionis ultimam differentiam agnoscimus . Sed  
et character , habitus , temperamentum , dispositio ad mor-  
bum , certos organismi status designare intendunt ut singuli  
individualitatem eo distinctius definire liceat . Omnes ta-  
men hae compellationes unionem singularium in totum  
quoddam designant , et sine notis distinctivis quas illis tri-  
buere judicio nostro relictum est , constitutioni identica vi-  
derentur , cum qua tamen sine iustae claritatis in scientia  
detrimento confundi non possunt , quare illorum differentias  
brevibus illustrabimus , et temperamenti , quod constitutione  
quidem multum affine est , ab eo discrepantiam in sequen-  
tibus dilucidare locus erit .

### §. 6.

Habitus quidem corporis statum designat sensui con-  
stitutionis multum affinem , habitus tamen cum primis indi-  
vidui apparitionem extimam , teneritudinem laxitatem ru-  
borem pallorem et similia comprehendit , missis motus et  
sensibilitatis differentiis , constitutionis vero conceptus la-  
tius patet nulla functione reclusa . Spectatis morbis ha-  
bitus quidem adesse in hunc vel illum proclivitatem loqui-  
tur , nuspia tamen ut illius fons et causa accusatur quam  
tamen constitutio largitur , ita ut habitus penus ac causa  
juste habeatur .

### §. 7.

Dispositioni ad morbum constitutio adhuc longe magis  
affinis est , ita ut in illa contineatur quod et iam in defini-  
tione adnotavimus . Quum enim Constitutio morbos invitet ,  
ut dispositio ad morbum consideranda venit , eo magis quo  
natura constitutionis in morbis provocandis consistere vi-

deatur. Constitutio tamen pars solum et modus dispositionis ad morbum erit, neque omnes illius modificationes complectitur. Reliquum est, quod constitutio non contenta morbos invitare provocare, fluentibus illis in sua persistat natura, atque morbos modificet. Talis autem actitas conceptui dispositionis ad morbum non respondet, quae solum possibilitatem probabilem morbi futuri enunciat, neque antequam in morbum ipsum abivit organismi peculiarem statum loquitur certis signis conspicuum. Horum contraria in constitutione cernimus. Illa enim actu perstat, non solum futurum, sed iam praesentem in organismo statum designat, certis symptomatibus manifestum quae individuo distinctam imprimunt indolem.

### §. 8.

Restat enodare relationem constitutionem inter et sanitatem ac morbum, ac dijudicare cui horum adpertineat. Utrique tamen communis nullius est distinctum patrimonium. Si sanitatem absolutam in idea conspicimus constitutionis imperium nuspia gubernabitur. Illa tamen incolumitatis idea in concretnis nullibi abivit, quare, sanitati latiorem adsignemus oportet campum ubi complura distinguentur puncta totidem vitae modificationes enunciantia. Area haec sanitatis non certis finibus circumscripta limites fixos inter incolumitatem et morbum abnuit, atque multi enumerantur status, qui nec huic nec illi definito iure adnumerantur, ut effectus pathematum, ebrietas, medicaminum sequelae, satietas, somnolentia, idiosyncrasiae temperamenti, sexus aetatis, adpartiones diversae, huc iure et constitutio accessenda. Si illa sanitati arctius iungatur, si decursum morborum genuinum legitimum parum interturbat, aut quod plus est mitigat, illam dicimus Constitutionem robustam bonam, et minus quidem recte, sanam, cum nullam figere possimus Constitutionem quae onni periculo va-

caret; atque non induceret discrimina, quarum altera non foret libera.

### §. 9.

Non tamen reticendum est, nullam dari constitutionem adeo malignam ut sanitas relativa cum ea consistere non possit. Patet adeoque solum plus aut minus, et relationem constitutionis, quae sanitati aut morbo magis est propingua determinare an illam faustum aut malignam dicamus. — Character tamen constitutionis ut supra memoravimus morbo etiam iam evoluto persistit, atque morbi indolem eo plus modifical si morbus e constitutione originem petierit, rectius si constitutio influxibus externis in eum evecta fuit gradum ut aperte in morbum abeat, qui subin non erit aliud ac constitutio praedominanter fota, adcoque ab illa gradu solum non vero indole diversa. Ast constitutio et talis morbos modifical qui non in illa radicantur, sed alio e fonte scaturiunt. Similibus in casibus modo constitutionis modo morbi symptomata praedominantur; non tamen practervideamus causis provocantibus gravioribus constitutionis influxum labefactari, deleri. Inflammationem quam trauma paucarum librarum induxit constitutio sane modifical, non vero illam quam pondus complurium centeniorum invitavit. Haec adcoque morbi causa gravissima constitutionis influxum in morbi originem decursum delere valet.

### §. 10.

Constitutio ut omnis alter organismi status signis manifesta erit, quae symptomata in sensus venientia ea unione ut saepe conspiciuntur, in unum complectuntur totum organicum, uno e fonte scaturiens; cum vero illud totum omnibus cum particularibus in unum punctum colligi atque uno nomine insigniri debuerit: id termino Constitutionis factum fuit. Quum vero non omnia individua eadem gau-

deant constitutione oritur disquisitio causarum diversitatis huius. Consideranda igitur venit quoad licet constitutionis natura, illius signa et subin causae.

### §. 11.

Scaturigo e qua constitutionis signa hauriuntur in organismi particularibus querenda, igitur in organis ac functionibus singulis, quod et in praxi sit. Organi evolutio ac perfectio gradus energiae suae functionis concludere nos facit ad constitutionis indolem ac naturam. Prae reliquis vero talia organa in censem veniunt quae vel sensibus immediate patent, (ut oculus, derma) aut cuius formationem cutis manifestat (ut musculus adeps) aut conspicua (respiratio, pulsus, excretiones) aut quae se individui caenesthesiae imprimunt. Ita quoque omnem individui statum, et hypotiposim ipsam colligimus. — Id tamen absque multa sagacitate non facile succedet, cum constitutio non tam manifestis lineis adumbrata esse consuevit ut morbus; signa ab individui caenesthesiae depromenda in dignoscendo morbo tantae utilitatis, hic quandoque omnia deficiunt; denique constitutio in omni individuo propriae subiacet modificationi. Si itaque intuitus unitus omnium particularium utilis, hic cum primis necessarius, ubi plurimum diagnosi iustae obest particularibus insistere.

### §. 12.

In disquisitione eruendae constitutionis gratia factae ordo quidam perutilis erit. Primum quod animadverendum veniet statura erit et proportiones corporis; prima excessu aut defectu peccare potest, alia norma et relatione aberrare. Respicias relationem capitis ad corpus, cranii ad faciem. Collum saepe per breve crassum alias nimis erit tenuer; nec transpicias laringis maiorem minoremque pro-

tuberantiam; inde transitus sit ad thoracem quem aut iuste convexum, aus plus angustum planumve conspicies, quod et de abdomine adnotandum. etct. Extremitatum quoque ad caeterum corpus proportionem aestimes, quorum finis non raro tument aut articuli non sat libere moventur. Cutis color, consistentia, humiditas, glabrities valoris sunt quandoque magni. Pili breves, longi, crissipi aut aperti erunt. Aspectus plagae ubi cutis textura plus minus mutata rubet multum docet. Lingua et gingivae livent pallent aut amoenno gaudent rubore.

### S. 13.

Sclerotica ubi normalis fuerit erit alba, pura, nitida, in infantibus solum caerulescens ac transparens. In medio quandoque linea cernitur horizontalis ab uno cantho ad alium protensa, quod constitutioni laxae spongiosae familiare, in reliquis solum post conamen gravius evenit. Porro oculi mobilitas humiditas, ratio quo obiecta figit chararem ac receptivitatem individui magnifice prodent tanto magis si et motuum et gestuum et vivacitatis iustau habueris rationem.

### S. 14.

Sed et tactus in disquirenda constitutione munus grave est. Manum repieres calentem aut frigidam sicciam aut sudore frigido madentem. Tactui indurations glandularum colli ac abdominis volumen ob parectemata, aut adipem maius patent. Adeps vero aut in paniculo cutis adiposo aut in omentis exuberabit, quare abdominis volumen ante et post pastum respiciendum. Pulsus docet arteriae intensitatem, cordis vigorem, sanguinis copiam ac totius systematis Haematophori irritabilitatem, odor respirium accusat abnorme, graveolens. Reliquum est ut et statum animi individui nostri quoad licet cognoscamus, quod vero continuac et attentae observationi succedit solum. Decursum

iuuentatis ac periodorum clymactericorum , quot cau<sup>m</sup> vit morbos noscas : vitae genus laboris ad quietem , somni ad vigilias nutrimentorum relationem et similia diaetetica si respexeris facilius sane condes diagnosim . Cuique notum disquisitionem hanc pro sexu aetate variis modisicandam esse , cum hae distinctas gignant dispositionis mutationem.

### S. 15.

Constitutionis rationem aequa ac naturam in organismo illiusue vita radicari in aperto est, cum ejus conceptus illam vitae peculiarem modificationem dicat. Cum autem constistutiones diversae totidem organismi modifications sstant, eius indoles, non in organismo ut integro, sed in singulis partibus, non in vita eius universa sed in manifestationibus certis (functionibus) radicabitur. Hae vero singulae partes ac vitae manifestationes propriis gaudeant oportet qualitatibus ut constitutionem sstant.

### S. 16.

Cum tamen constitutio non singuli organo sed universo organismo manifesta fiat, cui individualitatis stigmen imprimit; nullus dubitabit partes in quibus sedem figit per totum organismum propagatas porrigerere, atque vitae modificationem ab illa pendente plures functiones alterare imo regere. Cum porro constitutio quaevis particularibus manifesta sit in unum totum concurrentibus, patet illius sedem solum quaerendam esse in organis in se reclusis, systematibus nempe centro ac peripheria materiali donatis.—

### S. 17.

Constitutio ubi morbos invitat aut modificat activa sit, eius adeoque rationem ultimam in momentis systematum dynamicis divinari licet, quod et iustae de vivo, et vita ideae congruum est. Evictum tamen est dynamics has mo-

dificationes absque isochronis in structura et materia nusquam conspici, misso primi fomitis ac substrati scrutinio. Ultra, constitutio status est qui diutius intra certos limites immutatus perstat, quod phoenomena dynamica nullibi faciunt. Quin adeoque momentorum dynamicorum dignitati in pensitanda constitutione aliquid detrahamus, materiales quoque relationes respiciamus, ut ut experientia in subministrandis adminiculis per quam sterilis sit.

### §. 18.

Materialis ac dynamica systematum relatio, constitutionis penum sistit. Singulam adeoque constitutionem ad certum systhema referre poterimus, quod tamen non solum alteratur reliquis intactis et intregris, cum organismus ita constitutus sit ut mutatio in uno systheme, aliorum quoque eam antagonisticam aut consensualem pedissequam habeat. Si tamen in omni constitutione aliud atque aliud systhema primario aut p[re] reliquis affectum fuerit, quaestio oritur de principiis juxta quae constitutionem certam ad hoc aut aliud systhema referre studehimus. Nos substratum in illud locabimus systhema quod initio modificalitur quod, ut ansa fonsve mutationum in reliquis considerari poterit. Fateri tamen debemus criteria organarii et derivativi seu primarii et secundarii, ut in omni organico et hic multum incerta esse, ita ut id non securum p[re]beat canonem. Certior erit ille qui a modificatione predominante unius systematis depromitur. Symptomata quibus quaevis constitutione manifesta fit morbos quos saepe et facile fovet, ac mutatio characteris morbi alieni, attentionem sane in certum systhema derivabunt, et certum constitutionis focum designabunt.

### §. 19.

Demum et causae quae constitutionem fovehant hanc opinionem sufficiunt, si de illis constat quod in certum sy-

sistema p̄ae reliquis agant. Erit subin e re in determinatione systematis in quo constitutio radicatur, illud respicere sistema, quod p̄ae caeteris activum est, non secus ac illud quod suppressum fuit. Facile enim concipere possumus quod p̄aeponderans unius systematis activitas, illam alterius praepediat sufflaminet. Oppositum nou tam facilem habebit explicatum. Supponere igitur fas est illud e duobus systematibus primario affectum fuisse, cuius activitas exuberat; quod etiam in plurimis casibus concretis iustum constituit canonem, cum rarissime solum eveniat ut in constitutione individuali sistema unum actione incitata non p̄aedominetur, adeoque organismum non modifiet, ac ut illius focus considerandum veniat.

### §. 20.

Causas quod adtinet, illas in genere commemorasse sufficiet cum illorum accurata adumbratio et applicatio ad constitutiones quas inducunt ad aliud forum spectet: Primari harum constituit haereditas, qua ut omnis alia sobolis qualitas ita et eius constitutio determinatur, nam illa, non morbus ipse persaepe ab genitoribus ad genitos migrat, quomodo enim secus videremus haemorrhoides, arthritidem similiave mala post lustra evolvi haereditaria, utut organismus subsbantive diutissime perstiterit.

### §. 21.

Non minus constitutionis momentum largitur aetas, cuius periodus quaevis distincto evolutionis p̄aedominio insignis ad aliam aliamve referenda constitutionem, quippe quae diversas illis respondentes morbi formas inducere consuevit, quas autem modificationes vitae periodis alligatas videmus, utut multos ab illis insontes migrare videamus. Dependet porro constitutio multum ab temperamento, quod constitutioni ipsae multum esse affine supra monuimus, ita ut conceptus unius, ab illo alterius vix abstracti

ac definito limite distingui possit, utrumque stigma individualitatis constituit, in sanis ita ut aegris conspicuum, utramque particularia in totum organicum colligit, utrumque dispositionem in morbos varios, ac modificationes horum gignit. Differentiam vero horum specificam constitut dispositio ad morbum, constitutionem essentialiter, temperamentum per accidens excipiens. Temperamentum porro plus individui psychicas ac morales qualitates comprehendit, constitutio phisicas. Duratio quoque temperamento inest aequabilius quod non omni variat periodo, constitutione contra isobrone modificatur pro metamorphoseos stadiis, quae organismus iustrat.

## §. 22.

Neque ab sexus modificatione constitutio immuvis est, non tamen illabemur idcirco in illum scriptorum quorumdam errorem qui sexum in se ad multos morbos gignendos, sufficere contendunt, etsi solum possibilitatem certorum malorum inducat, dispositionem ad alia incitet eo quidem quod unam aliamve constitutionem foveat. Porro tot tantaeque causae externae, quae in systemata organismi influunt constitutionem modificant, quas enumerare arduum foret aequa ac supervacaneum, oportet solum nosse conditiones, praesentibus quibus minus morbum, ac certam constitutionem alunt, cum primis si minus energice sed continuo in organismum agunt, quod cum primis de illis valet momentis quae in individui vivendi ratione ac animo radicantur, idem valet de relationibus atmosphaericis, epidemicis, endemicis quae iuste consideratae aequa nuncquam morbum ipsum gignunt, ast constitutionem modificant sane influxus bi individuum afficientes; hic adeoque constitutio epidemica endemica (i: e: complexus momentorum externorum) cum individua congruit, illa tamen ut causa, haec ut effectus spectanda.

## §. 23.

Caeterum constitutio pro variis momentis causalibus quibus inducitur, nunc organismum magis nunc minus penetrat, et intimius modifcat, pro qua diversitate constitutio modo erit stabilis et diutina, modo variabilis certos solum vitae periodos concomitans. Constitutio haereditate inducta ant quam sexus, temperamentum, vitae genus sovet durabiliore adpertinebit, illa e contra quae relationibus epidemicis affinis est, minus erit stalilis et momentis quibusvis facilius alterabitur. Et hoc respectu homo maioribus minoribusve circulis concentricis comprehenditur, et si etiam minoris aream egredi contendat, in maioris peripheria reclusus manet.

## §. 24.

Si quae momenta constitutionem inducere et sovere valent, necessario erunt alia quae influxum constitutionis noxiun temperare, imo ipsam eam moderare imminuere poterunt. Constitutio respectum in therapia tenebit, quoad nempc praepedire studemus' ne in morbum abeat, quoad illam mitigare alterare intendimus, ac demum rationem cius necessariam in tractandis morbis tenemus. Impedire ne per, aut cum constitutione evolvatur, morbus; munus medici est nemini ignotum, certo tamen respectu, limitandum. Certum enim est et omni experientia evictum, morbos quosdam e constitutione pullulantes necessaria constituere inala, cum alteram pariant utilitatem, morbos graviores praevertentia aut ipsam constitutionem emendantia. Quem latet hacc exanthematum, ecrisium significatio ac non violanda dignitas? Sed quemadmodum horum morborum repenta suslaminatio noxia, metastases saepe infaustas inducit ita similia evenient si tales status in evolutione limitantur, impediuntur. Ubi constitutio ad certum usque gradum eluctatur necessitas morbi evolvendi nascitur, qui superva-

caneos aut noxios evacuat humores, et proportionem systematum aequam restituit. Quare similium morborum gerumen ac florem iustum foveamus potius ac suppressamus oportet, neque aliter iis obicem ponamus nisi nobis successerit constitutionem ipsam moderare priusquam morbi certi necessitas ingruit; facillime vero elevationem constitutionis in morbum praepediemus vitatis influxibus externis qui similem mutationem promovent. Familiare est audire unum hoc alterum aliud vitare dibere si insons pertistere malit, hunc refrigerium illum aestus tertium pathemata afficiunt ita ut in morbum incidat. Fontem vero huius diversitatis individuae constitutio non minus ac consuetudo largitur.

### S. 25.

Evolutionem morborum constitutionalium tuto praepedire licet, ubi praedominium constitutionis certae praepedire aut quoad fas est moderare studibimus, quo non modo ut supra notatum necessitudinem quorumdam morborum praepedimus, sed et recipitatem erga causas morbum facientes occasioneles imminuimus. Huic fini attentum causae constitutionis scrutinium respondet, non tam reticendum plurimas constitutionis causas cius esse indolis, ut illas directe agredi non valeamus. Ars temperamentum parum, aetatem, sexum, haereditatem nihil alterare poterit, quo vero hic minus praestare nobis licet eo accuratius observemus velim momenta causalia ab animo, vitae genere, constitutione demum ab diaeta omni pendentia. Si nobis successerit relate ad hanc solum omnia constitutioni congrue ordinare instituere, raro morbi erumpent quorum dispositionem actas sexus, temperamentum fovet ino et constitutio, lento attamen passu emendabitur.

### S. 26.

Quid pharmaea ad emendationem constitutionis faciunt? neque omnem iis ab iudicare velim utilitatem nec omnem in

hoc munere denegare sphaeram. Multum tamen servire communiter non valebunt, cum effectus eorum minus constans sit, largius vero et diutius usuata organismum magis confundunt ac constitutionem emendant. In morbi tamen iam evoluti cura constitutionis iustum habeas rationem. Persaepe enim gravia momenta causalia e constitutione scaturiunt quorum effectum neglecto fonte frustra eliminare niteris; modo constitutio morbi decursum typum durationem discrimen ac symptomata singula alterabit quare illam immoto contemplari velis oculo, cumpromis tamen medicaminum dosim determinandam ostendet, quae pro constitutione vari alia atque alia sit oportet. Restat derivationem constitutionum singularium tentare eo quo illam in genere nunc respeximus intuitu.

### §. 27.

Sat superve enunciatum fuit systema nervosum et sanguiferum omnis organisationis animalis principes constituere motores, ac manifestum est illorum mutationes omnes functiones modisicare regere, ita ut nulla ab illis independens muneri subsit, ita ut inerito dubitemus de possibilitate morbi de quo systemata haec partem non caperent. Quod si ita est sedem et locum morborum in his quaesitum fuisse systematis patulum est, ac illi quoque respondet necessitudini, qua superius evicta functio in qua constitutio radicatur per universum organisum propagata esse debet. Aliae vero functiones quae itidem per totum organismum diffunduntur, ut prima genesis, nutritio, secretio, motus, irritabilitas, coenesthesia, uni horum systematum tam arcto compulantur nexu ut qua totidem eius modificationes considerari possint. Textus cellulosus et derma per totum quidem corpus patent, ast et illorum genesis ut formatio omnis e systemate sanguifero fluit, que organismum tam potenter modificant, ut in iis constitutionis focum supponere licet, porro et centro carant, quo tamen solum ad systematis dignitatem elevarentur.

### §. 28.

An constitutionis causa ultima in viribus fundamentali bus quaerenda erit? bae tamen vires nil ac ideas abstractas sistunt, quibus ratio complura phoenomena aequalia aut similia comprehendet; caeterum id induceret nos ut relationum dynamicarum maiorem ac fas est rationem habeamus. Minus adhuc vitae ideam prosequi nitar ut ex illa constitutionis indolem explicem cum satius sit quoad licet concretis inhaerere, actio porro systematis nervosi ac sanguiferi totidem vitae modificationes sistunt, ac ultima causa omnis singularitatis in distincta vitae modificatione non in illius idea quaerenda erit.

### §. 29.

Igitur ab systemate nervoso ac sanguifero horumque functionibus constitutionem derivare licebit, utrumque tamen in tres sphaeras tripartitum est quorum omnis totum in se sistit, ut sistema vasorum im capillare, venosum, arteriosum, ita nerveum in gangliosum, medullare, cerebrale abit, coenesthesia in primo, motus ratio in altero, in tertio sensus ac animi mentisue sphaera dominatur, scaturit. Primum adeoque productionem et reproductionem organismi, secundum irritabilitatem, ultimum sensibilitatem ponit et gubernat. Prout omnis vasorum peripheria cor ut supremum agnoscit centrum; ita omissis sphaera nervosa supremo cerebri influxui, patet, quae relatio inducit modificationem reciprocam sphaerarum utriusque systematis inter se tam in statu normali quam in morboso, ita ut perquam arduum sit decidere de functione nervosa e qua nervo aut sphaera manet, cum nec unico nervo secure solum motum sensum aut coenesthesini adligare possumus, imo illorum frequentes anastomoses faciunt ut compluri ni omni functioni nervosae perficiendae pares sint; exemplo sit nervus sympatheticus maximus qui origine sua e gangliis,

nexus cum sphaera tam cerebrali quam medullari aptus sit coenesthesia gerere motus regere, ac (in somnambulismo) sensibus fungi aptus sit, in parte gangliosa mirabilis huius nervi coenesthesia praeponderat, motus est solum involuntarius ac sensus facultas in norma solum virtualiter adest, in medullari coenesthesia obscuriore motus facultas in arbitarium elevatur ac sensus insimus tactu manifestus sit; in systemate nervorum cerebri demum nec coenesthesia nec motus ex integro silent, ast functiones sensuum altum petunt locum in cuius culmine functiones mentis et animae germinantur. Pariter limpha in systemate venoso in sanguinem abit, qui tamen a limpha liber non est, etc. sanguis in arteriis perfectior ille est qui c venis scaturit.

### §. 30.

Praecedentium sequelas si in nostrum obiectum convertamus, videbimus sex existere debere constitutiones individuales distinctas primitivas, quarum tres systema nervosum alias sanguiferum gignit, si illi iohaereamus conceptui, qui constitutionem praedominanti cuidam systemati adscribit. Si ita indolem constitutionis pro posse designavimus, erit illius quoque denominationem ab illo depromere systemate a quo inducitur, ita ut lymphaticam, venosam, arteriosam, gangliosam, medullarem, cerebralem statuanus constitutionem, quarum singula adtenta et distincta digna est lucubratione.

### §. 31.

Illa constitutionis designatio melior nobis videtur ac ea quae huic invalidum, quae nunc ab morbo depromitur qui saepe illam comitatur aut excepit, ac similem ac constitutio fontem agnoscit. Non minus vapulat distinctio constitutionis in bonam malamve, cum et optima suis comitetur discriminibus, et pessimae quam diutissime intervi-

vere possimus. Si constitutionem hanc robustam, illam teneram, torpidam, irritabilem, atonicam dicamus unam solum qualitatem designamus externe conspicuam, nostra vero compellatio complectitur plures individui modificationes internis rationibus innixas.

### §. 32.

An non in contrarium dilabimur errorem si constitutionum tot tantasque modificationes in concreto conspicuas, ad tamen paucos reducimus canones? An non immerito negligantur constitutiones quaedam, quos tamen iure distinctas agnoscere liceret? In illum tamen non facile abibimus errorem si pensitaverimus, in uno individuo solum unam systematis sphærarum praedominare posse, imo in uno eodemque systemate constitutiones multum diuersae radicari possunt. Porro et gradualis differentiae in constitutione ut iu omni evolutione organica ratio habenda, neque asseremus constitutiones has simplices in concreto, non tam puras reperiri ut hic illas enodauimus, cum nullibi in organismo simplicitas emergat.

## L i t t e r a t u r a.

---

**G**alenus ed. Charterii Tom. VI. *De optima corporis nostri constitutione.*

**A. G. Schmidt** Diss. inaug. de varia hominum constitutione. Jena, 1803.

Kopp, Beobachtungen im Gebiethe der prakt. Heilkunde. Frankfurt a. M. 1821.

J. A. Walther, über das Wesen der phthisischen Constitution. Bamberg. 1790.

Schen, über Krankheits-Anlagen des Menschen. Wien. 1821.

C. L. Klosz, allgemeine Aetiologye der Krankheiten des Menschen. Leipzig, 1822.

F. A. G. Pachelt, über die individuelle Constitution sc. Leipzig, 1823.

Dictionnaire des sciences medicales. Art. Constitution

Hufeland, Rudolphi. Link. et Meissner in lexicis medicis, Art. Constitutio.

---

---

## T h e s e s.

---

1.

**S**cretatio omnis scientifica ultimo in insolubile offendit:  
Hinc

2.

Scientia omnis limitata ac insufficiens.

3.

Sanitas absoluta est dispositio ad omnes morbos.

4.

Productio in vegetabili, in animali reproductio maior.

5.

Aqua pura remedium aequa efficax ac simplex.

6.

Obstetricia medicinae constituit ac chirurgiae partem,  
inter praecipuas, referendam.

7.

Affectus princeps est desiderium, aversio ex eo sca-  
turit.

8.

Prophylaxis refrigerii unica est frigori asuesieri.

9.

**Opium alvum coercet, sed et movet.**

10.

**Medicus rationalis magis morborum natura quam forma  
regitur.**

11.

**Evacuationes saepe stimulant.**

12.

**Nullum datur contraindicans.**

